

candum erat. Hoc vitium peccaret, si quis diceret, horam esse vicesimam quartam partem diei, diem autem tempus viginti quatuor horarum ¹.

4° Definitio verbis negantibus fieri nequit, quippe quod ipsa non tam quid res non sit, quam quid res sit, explicare debet ².

49. *Divisio* autem est *totius in partes distributio*. Totum, quod in partes dividitur, *divisum* audit, et partes, in quas totum dividitur, *membra dividenda* dicuntur. Si qua divisionis pars complexa sit, suasque in partes et ipsa solvatur, subdivisio existit. Denique plures divisiones eiusdem rei, quae diversis modis consideratur, *condivisiones* a logicis dici solent.

50. Totum, quod dividitur, triplicis generis est, nempe *integrale, universale, et potentiale* ³. Totum *integrale* illud est, quod ex partibus coalescit, quae re ipsa ab se invicem abscindi possunt, cuiusmodi est *domus*, quae ex fundamento, pariete, tecto exurgit ⁴. Totum vero *universale* illud audit, cui partes, tamquam species subiiciuntur, veluti *animal*, quod in hominem, et belluam dividitur. Denique totum *potentiale* nominatur illud, cui plures potentiae, seu facultates inter se distinctae insunt, veluti *anima humana*, quae, etsi una et simplex sit, tamen in *intellectivam, sensitivam, et vegetativam* dividi solet.

51. Regulae rectae divisionis, sunt praecipuae tres. Prima vetat, quin divisio fiat in partes pauciores, aut plures, quam oportet, quia partes totum aequare debent. Contra hanc regulam peccaret tam qui angulum in rectilineum, et curvilineum, quam qui lineam in rectam, curvam, et mixtam divideret. Secunda praecipit, ut pars una aliam non includat; secus enim eadem pars bis sumeretur. E. g., in vitium incurrit, qui ita dividit: Tria

¹ Haec autem regula in *relatis* locum non habet, siquidem natura cuiusque relati a natura termini, ad quem refertur, efficitur.

² Advertendum autem est, posse definitiones negantes adhiberi, ubi defectus alicuius rei est definiendus; puta si quis dicat surdum esse, qui non audit, et caecum, qui non videt. Item, in definiendis contradictoriis. Nam, cum eorum unum affirmet id, quod alterum negat, definitio uno per id, quod est, alterum defini potest per id, quod non est. E. g., si quis, postquam substantiam materialem definiit illam, quae ex partibus coalescit, substantiam immaterialem illam definiat, quae ex partibus non constat, recte is substantiam immaterialem definiisse censendus est.

³ Cf s. Thom., 1, q. LXXVII, a. 1 ad 1.

⁴ Huius *totius* distributio a veteribus *partitio* proprie dicta fuit.

sunt, quae homines sollicitant, metus, cupiditas, aegritudo; namque metus, et cupiditas species quaedam aegritudinis sunt. Tertia iubet divisionem fieri *gradatim*, hoc est, primum in membra generalia, tum in ea, si opus fuerit, quae his continentur. Itaque non recte dividitur *vivens* in *plantam, hominem, et belluam*; sed divisio instituenda est per membra proxima, hoc ferme pacto: *vivens* aliud sensu caret, ut *planta*, aliud sensum habet, ut *animal*; et rursus, *animal* aliud est rationis particeps, ut *homo*, aliud expers, ut *bellua*.

CAPVT II.

De iudicio et enunciatione

ART. I. De natura, et elementis iudicii atque enunciationis

52. Iudicium illa est actio, qua mens duas notiones inter sese comparat, easque coniungit, aut separat, prout convenire, aut differre cognoscit. Brevius cum s. Thoma defini potest: illa actio intellectus, *secundum quam componit, et dividit, affirmando, et negando* ¹. Iam enunciatio est iudicium verbis expressum. Quapropter enunciatio definitur: *oratio, quae aliquid significat aiendo, vel negando*. Hanc ob rationem oratio *indicativa* etiam appellatur, siquidem affirmatione, atque negatione veritas, et falsitas rerum indicatur.

53. Exinde discrimen perspicitur inter enunciationem, et alias species orationis, puta *interrogativam, optativam, imperativam*. Etenim in his affirmatio, vel negatio, ac proinde verum aut falsum proprie non denotatur, sed dumtaxat quidam ordo, qui actum intellectus de veritate, aut falsitate rerum iudicantis consequitur. E. g., is, qui communitati praest, cum legem com-

¹ *Qq. disp., De Ver., q. XIV, a. 1 c.* Circa quam definitionem adnotandum est vocibus *compositionis, et divisionis* intelligi posse vel conjunctionem, et separationem notionum, vel nomine *compositionis* comparisonem earum, et nomine *divisionis* distinctam rationem, qua subiectum, et attributum considerantur. Si hoc altero sensu accipiantur, compositio, et divisio in cunctis iudiciis cum affirmantibus, tum negantibus inveniuntur, ita ut divisio compositioni praecedat; nam non licet nobis asserere, aut negare unam notionem de altera, nisi ambae secum comparentur, et notiones non possunt comparari, nisi tamquam inter se distinctae accipiantur. Sin primo sensu, compositio est propria iudiciorum affirmantium, et divisio est propria iudiciorum negantium.

munitati utilem iudicaverit, sibi subiectis imperat, ut ipsam observent.

54. In quolibet iudicio, uti ex *ista*, quam explicavimus, eius natura conficitur, tria elementa inveniuntur. Ea sunt duae notiones, nempe una *subiecti*, hoc est, notio eius, cum quo aliquid coniungitur, vel a quo aliquid separatur, et altera *attributi*, seu *praedicati*, hoc est, notio eius, quod cum subiecto coniungitur, vel ab eo separatur, atque *copula*, hoc est, illud vinculum, quo praedicatum cum subiecto coniungitur, vel ab eo separatur. Haec autem copula consistit in verbo *esse*, aut *non esse*, nam intellectus non potest referre attributum ad subiectum, nempe illud coniungere cum subiecto, aut ab isto separare, nisi ex eo quod unum in alio *esse*, aut *non esse* cognoscit. Quapropter verbum *est* a s. Thoma *nota compositionis* appellatur ¹. Ita in hoc iudicio, *homo est animal*, *homo* est subiectum, *animal* est praedicatum, verbum *est* copula est, quippe quod componit notionem *animalis* cum notione *hominis*.

55. Haec tria elementa iudicii in enunciatione, quae, ut diximus, est iudicium extrinsecus prolatum, duabus vocibus significantur, quarum una subiectum denotatur, altera attributum simul cum copula. Cuius ratio est, quod praedicatum non consideratur a logico, prout est quaedam proprietas in se spectata, quemadmodum consideratur a grammatico, sed prout componitur cum subiecto. Quapropter praedicatum unica voce significatur, quae et proprietatem, et notam compositionis complectitur. Vox, qua denotatur subiectum, dicitur *nomen*; illa autem, qua denotatur praedicatum, seu proprietas cum relatione ad subiectum, dicitur *verbum*. E. g., in hac enunciatione, *Socrates ambulat*, *Socrates* est nomen, et denotat subiectum, *ambulat* est verbum, et denotat praedicatum logice consideratum.

56. Ex hoc efficitur ut omnia verba, quae in enunciatione significant *praedicatum*, seu proprietatem, eiusque compositionem cum subiecto, resolvantur in verbum *esse*, quod, ut diximus, est nota compositionis, et in participium, quo ipsa proprietas significatur. E. g., idem est dicere, *convalescit*, ac *est convalescens*. Unde verbum *esse* nuncupari solet *primitivum*.

57. Iam verbum in enunciatione modi indicativi, et temporis

¹ I, q. III, a. 4 ad 2.

praesentis sit oportet. Et primo, verbum modi indicativi esse oportere probatur hoc brevi argumento: Enunciatio est oratio indicativa, quia verum, aut falsum significat. Atqui enunciatio sumit ex verbo vim significandi verum, aut falsum. Ergo verbum in enunciatione non nisi modi indicativi esse potest. Secundo, verbum esse oportere *temporis praesentis* evincitur hoc alio argumento: Verbum in enunciatione significat actum intellectus, quo aliquam proprietatem cum subiecto coniungit, aut ab illo separat. Atqui huiusmodi actus in tempore praesenti efficitur. Ergo verbum in enunciatione temporis praesentis esse debet. Quod si multae enunciationes occurrunt, in quibus praeteritum, vel futurum tempus adhibetur, praeteritum, et futurum non referuntur ad verbum, sive ad copulam, sed ad statum, in quo subiectum repraesentatur fuisse, vel futurum. E. g., si dicatur, *lapis fuit*, vel *erit calidus*, perinde est, ac si diceremus: *lapis, quem nunc cogitamus, is est, qui fuit, vel erit calidus*.

ART. II. De nominis, et verbi natura

58. Duo, ut diximus, sunt elementa enunciationis logice spectatae, scilicet nomen, et verbum. Horum natura hic explicanda nobis est.

Grammatici definiunt nomen, *id quod substantiam, aut qualitatem rei significat*. Secundum Logicos autem nomen est *vox simplex, ad aliquid sine varietate temporis significandum instituta*. Quarum definitionum differentia ex eo oritur, quod grammaticus considerat voces, non prout denotant conceptiones intellectus, sed prout denotant ipsas res; logicus autem considerat voces, prout significant non ipsas res, sed conceptiones intellectus.

59. Iam nomen logice spectatum dicitur *vox ad aliquid significandum instituta*, sive adhibita ad aliquem conceptum intellectus denotandum; nam nomen est una ex praecipuis partibus orationis, quae ad conceptiones intellectus patefaciendas spectat ¹. Praeterea nomen dicitur *vox simplex*, quia destinatur ad significandum conceptum unius rei, illius nempe, de qua aliquid enuntiatur ². Denique dicitur nomine *aliquid significari sive va-*

¹ Oratio, secundum Aristotelem (*De Interpr.*, c. 4, § 1), *aliquid significat ex consensu*.

² *Vox simplex* distinguitur a voce *complexa*, quae plures conceptus inter se colligatos significat, e. g., *homo iustus*.

rietate temporis. Re quidem vera tempus, ut suo loco explicabimus, sine mutatione *prioris* et *posterioris* intelligi nequit, ac proinde illud, quod cum tempore significatur, tamquam aliquid fixum et permanens significari non potest. Atqui nomen, cum significet subiectum, aliquid tamquam fixum, et permanens significat. Ergo nomen est vox, quae aliquid sine tempore significat ¹.

60. Nomen ex eo, quod significat aliquid sine tempore, a *verbo* differt. Etenim verbum non solum rem, sed etiam tempus, in quo res existit, significat. Quocirca verbum definitur: vox simplex, quae id, quod significat, cum aliqua differentia temporis significat. E. g., vox *valetudo* est nomen, quia quidquam aliud, praeter valetudinem, non significat; contra, vox *valet* est verbum, quia non modo valetudinem, sed etiam tempus, quo valetudo alicui inest, significat.

61. Nonnulli Philosophi, inter quos Galluppius ², contendunt, essentiam verbi in eo positam esse, quod aliquid affirmat. Ast haec sententia falsa esse ex eo perspicitur, quod affirmatio, cum significet aliquid alicui inesse, non ex solo verbo, sed ex verbo, et nomine efficitur; siquidem ipsa ex postulat illud, quod affirmatur, nempe verbum, atque illud, de quo aliquid affirmatur, nempe nomen.

62. Alii autem opinantur verbum a nomine discriminari ex eo quod actionem, et passionem significat. At haec etiam sententia reiicienda est. Etenim est quidem proprium verbi, quatenus ad subiectum refertur, significare aliquid *per modum actionis et passionis*, siquidem verbo significatur proprietatem aliquam subiecto inesse, vel quia ipsum subiectum illam in se producit, vel quia ab aliqua causa in subiecto producit; e. g., in hac enunciatione *Petrus amat Paulum*, amor de Petro praedicatur, quia in ipso producit per principium sibi naturaliter insitum; in hac altera enunciatione, *paries est albus*, albedo de pariete enunciat, quia ab aliqua causa exteriori in pariete producit ³. At vero non est proprium verbi significare ipsam ac-

¹ Advertito illis etiam nominibus, quae nomina temporis dicuntur, e. g., *hora, dies, mensis*, aliquid sine tempore significari; siquidem ipsa significant tempus, prout est quaedam res, non vero prout est tempus.

² *Lezz.*, lez. XLII, t. 1, p. 222, Napoli 1853.

³ Hoc, secus ac sensit Arnaldus (*Grammaire générale, et raisonnée*, part. 2, e. 8), locum quoque habet in illis verbis, quae *neutra* a grammaticis

tionem, aut passionem, actio enim, et passio per se, seu, ut s. Thomae inquit, *in abstracto sicut quaedam res* ¹ significantur per nomina, ut cum dicitur, *actio, passio, cursus, amor* etc.

ART. III. De diversis speciebus enunciationum ex parte formae

63. Enunciationis divisio ex duplici capite repetenda est, scilicet a *materia*, sive ab elementis, ex quibus ipsa constat, atque a *forma*, sive a modo, quo haec elementa concurrunt ad efficiendam enunciationem ².

64. Si formae ratio habeatur, spectari in primis potest ipsa convenientia, vel discrepantia attributi cum subiecto, atque inde oritur divisio enunciationis in *affirmantem*, atque *negantem* ³. Enunciatio affirmans ea est, quae aliquid alicui inesse significat, e. g., *homo est ratione praeditus*; negans autem, quae significat aliquid alicui non inesse, e. g., *bellua non est ratione praedita*.

65. Ab enunciationibus tum affirmantibus, tum negantibus distinguendae sunt illae, quae *infinite* appellantur. Huiusmodi enunciationes illae sunt, in quibus quodcumque aliud subiecto tribuitur, quam quod significatur praedicato. E. g., *brutum est non homo*. Vocantur infinite, quia in eis aliquid indeterminatum subiecto tribuitur.

66. Iamvero enunciatio infinita differt ab affirmante, quia affirmans denotat aliquid determinatum inesse subiecto, sed infinita significat aliquid indeterminatum subiecto inesse. Praeterea, differt a negante, quia negans significat aliquid determinatum non inesse subiecto, infinita autem dum significat aliquid determinatum in subiecto non inesse, simul significat ei aliquid indeterminatum inesse, atque ideo in ea negatio e copula ver-

dicuntur. E. g., in hac enunciatione, *Socrates dormit*, in qua verbum neutrum invenitur, *dormire* Socrati per quamdam actionem inhaerere intelligitur, quia ex aliquo principio, quod est in Socrate, efficitur, ut ipse dormiat. — ¹ *In lib. I Perhierm.*, lect. IV.

² De enunciationis veritate et falsitate, quippe quae non spectat ad ea, ex quibus enunciatio constituitur, sed potius ad cognitionem, quae per ipsam exhibetur, prout nempe illa consentanea est naturae rei cognitae, aut ab hac dissentit, opportuniori loco in *Criteriologia* sermonem habebimus.

³ Haec divisio ad qualitatem essentialem enunciationis pertinet, quia essentia enunciationis in coniunctione praedicati cum subiecto, aut separatione unius ab altero consistit.

bali, nempe ex verbo *est*, transfertur ad vocem, quae rem praedicatam significat. At si enunciatio infinita proprie non est aiens, aut negans, ipsa utriusque participes. Id ex dictis facile intelligitur; nam enunciatio infinita est quodammodo asserens ex ea parte, quatenus aliquid indeterminatum de subiecto praedicat; et est quodammodo negans ex ea parte, quatenus aliquid determinatum a subiecto removet. E. g., si quis dicat *brutum est non homo*, negat quidem brutum esse hominem, sed simul asserit aliquid aliud bruto convenire.

67. Circa enunciationes affirmantes et negantes haec notatu digna sunt:

1° In enunciatione affirmante praedicatum accipitur secundum totum suum complexum, nequit enim aliquid cum subiecto coniungi, nisi omnes eius proprietates subiecto conveniant. E. g., dici non posset triangulum esse figuram, nisi omnes figurae proprietates triangulo convenirent.

2° In eadem enunciatione affirmante praedicatum non accipitur secundum totum suum ambitum, quia praedicatum magis universale, quam subiectum, plerumque est ¹, ac proinde non solum illi subiecto, sed etiam aliis convenire potest.

3° In enunciatione negante praedicatum accipitur secundum totum suum ambitum. E. g., in hac enunciatione, *triangulum non est quadratum*, denotatur nullum posse esse quadratum, quod sit triangulum, alioquin triangulum non esse quadratum absolute dici nequit.

4° In eadem enunciatione negante praedicatum non accipitur secundum totum suum complexum. E. g., illa enunciatio, *triangulum non est quadratum*, haud significat omnes proprietates quadrati triangulo repugnare, nam ad removendum aliquod praedicatum a subiecto satis est, ut unum eorum, quae praedicatum constituunt, subiecto non conveniat.

68. In forma enunciationis spectari etiam potest ille specialis modus, quo convenientia, vel discrepantia inter attributum, et subiectum determinatur. Ex hoc capite enunciationes constituuntur, quae *modales* appellari solent.

¹ Diximus plerumque, quia aliquando praedicatum aequè universale est, ac subiectum, nempe quando declarat notionem subiecti, vel est aliquid ita ei proprium, ut cetera excludat. E. g., *homo est animal ratione praeditum*, aut *homo est animal capax ridendi*.

69. Itaque enunciationes modales sunt illae, in quibus modus quidem specialis significatur, quo praedicatum ad subiectum refertur. Harum enunciationum quatuor species recensentur, nempe, *possibilis, contingens, necessaria, impossibilis*. Enunciatio *possibilis* ea dicitur, in qua significatur praedicatum actu in subiecto non esse, sed esse posse, e. g., *Possibile est Socratem currere*. *Contingens* ea est, in qua denotatur praedicatum actu quidem subiecto inesse, sed ita ut non repugnet non inesse, e. g., *Socrates contingenter currit*. *Necessaria* illa vocatur, quae exhibet praedicatum ita inesse subiecto, ut repugnet non inesse, e. g., *Necesse est hominem esse animal*. Denique *impossibilis* ea dicitur, quae significat praedicatum non solum non inesse subiecto, sed etiam ei repugnare, e. g., *Impossibile est Deum esse corporeum*.

70. Circa huiusmodi enunciationes haec duo adnotanda sunt:

1° Modi, propter quos enunciationes dicuntur modales, non sunt illi, qui determinant dumtaxat rem, quae de subiecto praedicatur, sed illi, qui determinant compositionem attributi cum subiecto. E. g., haec enunciatio, *Socrates bene legit*, non est proprie modalis, quia illud adverbium *bene* determinat $\tau\delta$ *legere*, quod de Socrate praedicatur, non vero coniunctionem $\tau\epsilon\upsilon$ *legere* cum Socrate, unde ipsa resolvitur in hanc, *Socrates est bene legens*. Contra ea, haec enunciatio, *Contingit Socratem disputare*, est proprie modalis, quia $\tau\delta$ *contingit* non determinat $\tau\epsilon$ *disputare*, quod Socrati tribuitur, nempe non significat specialem modum disputandi, sed modum determinat, quo $\tau\delta$ *disputare* Socrati tribuitur, nempe significat modum specialem, quo *disputare* Socrati convenit, quia significat Socratem quidem disputare, et necesse non esse, ut disputet.

2° Veritas, et falsitas enunciationis modalis a veritate, et falsitate modi diiudicanda est; nam natura enunciationis modalis consistit in connexionemodi cum eo, quod subiecto inesse, aut non inesse significatur. E. g., falsa est haec enunciatio, *Contingit hominem esse animal*, quia modus, quo de homine animal enunciat, est falsus.

ART. IV. De diversis speciebus enunciationum ex parte materiae

71. Enunciatio, si ex parte *materiae* spectetur, diversa ex duplici capite esse potest, nempe prout est diversa subiecti exten-

sio, quae eius *quantitatem* efficit, et prout eius termini unum, aut plura significant.

72. Ratione extensionis subiecti, *sive quantitatis* enunciationes in *universales, particulares, et singulares* dividuntur. Enunciatio singularis ea est, in qua subiectum est aliquid individuum, e. g., *Socrates est philosophus*. *Universalis* est ea, cuius subiectum est aliqua notio universalis accepta *universe*, hoc est secundum totum suum ambitum, e. g., *Omnes homines sunt ratione praediti*. Denique dicitur *particularis*, si eius subiectum est notio universalis accepta *ex parte*, nempe ita ut non completatur omnia, quae eius ambitum constituunt, e. g., *Aliqui homines sunt philosophi*.

73. Ut patescat utrum subiectum *universe*, an *ex parte* accipiatur, ac proinde utrum enunciationes sint universales, an particulares, aliquae *notae* subiecto adiciuntur. Hae sunt pro enunciatione universali *omnis, nullus*; pro particulari autem *aliquis, vel quidam*. Cum huiusmodi nota non profertur, enunciatio *indeterminata* vocatur, quippe quod ipsa, prout exprimitur, non commonstrat utrum *universe*, an *ex parte* accipienda sit, sed ut hoc cognoscatur, expendendum est, utrum attributum ad subiectum essentialiter, an contingenter referatur. Si primum, enunciatio est universalis, e. g., *homo est ratione praeditus*; sin alterum, est particularis, e. g., *homo est sapiens*.

74. Ratione autem illius, quod termini enunciationis significant, ipsa dividitur in *unam, et multiplicem*. Enunciatio *multiplex* ea est, quae ex parte subiecti, aut praedicati, aut utriusque plura significat, quae nullum ordinem inter se habent, ita ut ad unicum conceptum subiecti, aut praedicati reduci nequeant. E. g., *Socrates, et Plato ambulant*, vel, *Socrates ambulat, et philosophatur*, vel, *Soerates, et Plato ambulant, et philosophantur*. Hinc vides huiusmodi enunciationem multiplicem appellari, quia non est unica enunciatio, quae ex pluribus, quasi ex partibus suis, conflatur, sed est enunciatio, quae diversas enunciationes exhibet.

75. Enunciatio autem *una* duplicis generis esse potest; nempe vel est *una simpliciter*, vel est *una per coniunctionem*. *Una simpliciter* dicitur ea, quae unum de uno absolute significat, e. g., *homo est ratione praeditus*. *Una autem per coniunctionem* vel est ea, quae ex parte subiecti, aut praedicati, aut utriusque plura

significat, quae ad unicum conceptum subiecti, aut praedicati reducuntur, e. g., *Animal rationale mortale currit*; *est* ea, qua significatur coniunctio *parium* enunciationum, quae ita inter se referuntur, ut unam enunciationem constituent; e. g., *Si dies est, lux est*. Enunciationes, quae sunt *unae* hoc altero modo, nempe per connexionem plurium enunciationum, dicuntur *hypotheticae*, atque hoc nomine a ceteris omnibus, quae vocantur *categoricae*, distinguuntur. Praestat earum naturam clarius exponere, variasque species numerare.

76. Itaque enunciatio *hypothetica* differt a *categorica*, quod huius partes sunt nomen, et verbum, illius autem sunt enunciationes categoricae, quarum secunda per aliquam coniunctionem ad primam refertur. E. g., hypothetica est illa enunciatio, *Si dies est, lux est*, quia eius partes sunt duae enunciationes, *dies est, lux est*, atque hae coniunguntur per particulam *si*, quae officio copulae fungitur. Hinc perspicitur enunciationem hypotheticam re ipsa esse unam, quia non significat ea, quae enunciationes categoricae ipsam componentes denotant, sed dependentiam, quae inter categoricas intercedit; haec autem dependentia non nisi tamquam unum intelligitur. E. g., illa enunciatio, *Si dies est, lux est*, non significat *diem esse, et lucem esse*, sed tantum connexionem harum duarum enunciationum.

77. Tres autem sunt species enunciationis hypotheticae, scilicet *connexa, coniuncta, et disiuncta*. Enunciatio *connexa* ea est, in qua enunciationes categoricae coniunguntur per particulam *si*, e. g., *Si dies est, lux est*. Ex duabus partibus, ex quibus enunciatio *connexa* constat, ea, quae collocatur post coniunctionem *si*, *antecedens*; ea vero, quae sine coniunctione est, *consequens* dicitur, quia illa rationem huius complectitur.

78. Ex ipsa huius enunciationis natura patet eius veritatem non pendere a veritate partium, sed ex ipsarum connexionem. Hinc enunciatio *connexa* potest esse vera, etiamsi enunciationes, ex quibus constat, sint falsae, et esse falsa, etiamsi enunciationes sint verae. E. g., vera est haec enunciatio *connexa*, *Si cerebrum tuum cogitat, aliqua materia cogitat*, etiamsi et cerebrum cogitare, et materiam cogitare sit falsum; e contrario, quamvis verum sit hominem esse tum animal, tum ratione praeditum, tamen falsa est haec enunciatio *connexa*, *Si homo est animal, ratione pollet*. Ratio est, quia in priori enunciatione ad-

est connexio inter antecedens, et consequens, in altera autem haec connexio deest. Porro ut cognoscatur utrum extet connexio consequentis cum antecedenti, inspicendum est, utrum contrarium consequentis repugnet antecedenti, necne. Si primum, connexio inter utrumque existit; e. g., in illa enunciatione, *Si dies est, lux est*, adest connexio, quia tenebrae, quae luci opponuntur, diei etiam adversantur. Sin alterum, connexio deest, uti in hoc exemplo, *Si dies est, Socrates ambulat*, quia oppositum consequentis, nempe *Socratem non ambulare*, antecedenti, nempe *esse diem*, non adversatur.

79. Enunciatio *coniuncta* illa est, in qua enunciationes categoricae connectuntur per particulam *non*, atque ita unam enunciationem efficiunt; e. g., *Non dies est, et nox est*, vel, *Non est mortuus Plato, et vivit Plato*. Ut vera sit haec enunciatio, oportet ut enunciationes, ex quibus constat, sibi invicem opponantur, ita ut simul existere nequeant. Hinc falsa est haec enunciatio, *Non legit Plato, et ambulat Plato*, quia, cum *legere*, et *ambulare* sibi invicem non opponantur, nihil prohibet, quin Plato simul legat, et ambulet.

80. Denique enunciatio *disiuncta* est illa, in qua enunciationes categoricae efficiunt unam enunciationem per particulam *aut*; e. g., *Aut dies est, aut nox est*. Ad veritatem huius enunciationis duo expostulantur; nempe 1° oppositio inter partes, quia haec enunciatio innuit ut, posita una parte, aliae excludendae sint, quod profecto non nisi in iis, quae sibi invicem adversantur, locum habere potest; 2° integra partium enumeratio, alioquin statui non posset, ut una praeler alias admittenda sit. Hinc falsa est haec enunciatio, *Triangulum est aut reclangulum, aut acutangulum*, nam potest etiam esse *obtusangulum*¹.

¹ Plerique recentes Logici unam enunciationem, quam vocavimus *connexam*, appellant hypotheticam. At perperam, nam enunciationes *coniuncta*, et *disiuncta* sunt, non secus ac *connexa*, hypotheticae. Etenim ipsae nihil affirmant, aut negant, sed tantum quamdam hypothesim, seu suppositionem statuunt. Ita non solum cum inquamus, *Si dies est, non est nox*, sed etiam cum inquamus, *Non dies est, et nox est*, atque, *Aut dies est, aut nox est*, nec asserimus, nec negamus esse diem, vel noctem, sed dumtaxat alterutrum esse statuimus. Inde fit, ut enunciationes *coniuncta*, et *disiuncta* ad formam enunciationis *connexae*, quae secundum recentes hypothetica est, nullo negotio revocentur. Revera haec enunciationes, *Non dies est, et nox est*, et, *Aut dies est, aut nox est*, efferri possunt hunc in modum, *Si dies non est, nox est*, et, *Si nox est, dies non est*.

81. Ex iis, quae diximus circa enunciationem *unam*, et *multiplicem*, perspicitur quid re vera sint illae enunciationes, quas recentes Philosophi *complexae* vocant. Enunciationes complexae, eorum sententia, sunt eae, in quibus vel subiecto, vel praedicato, vel utrique alia enunciatio adnectitur; e. g., *Homo, qui est iustus, laude dignus est*; vel, *Homo est animal, quod rationem habet*; vel, *Animal, quod rationem habet, actiones exerit quae praemium, vel poenam merentur*. Enunciatio, cuius vel subiecto, vel praedicato, vel utrique alia assuitur, *principalis* ab eis dicitur; enunciationes vero, quae eius terminis adiunguntur, *incidentes* appellantur. Hae enunciationes incidentes in *explicativas*, et *restrictivas*, seu *determinativas* dividuntur. E. g., in illa complexa, *Homo est animal, quod rationem habet*, incidens est restrictiva, quia determinat subiectum enunciationis principalis. In hac autem complexa, *Socrates, qui est philosophus, disputat*, incidens est explicativa, quia haec tantummodo declarat, sive explicat subiectum. Iamvero ex dictis facile perspicitur 1° enunciationem complexam, in qua incidentes sunt restrictivae, esse *unam*; e. g., una est haec enunciatio, *Homo est animal, quod capax scientiae est*, incidens enim, quae adnectitur attributo, cum determinet essentiam ipsius attributi, illud multiplex non efficit; 2° omnem enunciationem complexam, in qua incidentes sunt explicativae, esse *multiplicem*; e. g., multiplex est illa enunciatio, *Socrates, qui est philosophus, disputat*, quia incidens, quae additur subiecto, non pertinet ad essentiam subiecti, ac proinde ipsum multiplex efficit.

ART. V. De oppositione, et conversione enunciationum

82. Oppositio consistit in affirmatione, et negatione eiusdem praedicati de eodem subiecto secundum eandem rationem. Hinc oppositae sunt duae enunciationes, quae habent idem subiectum, et idem praedicatum, et qualitate inter se differunt, ita ut una sit affirmans, altera negans.

83. Iam enunciationes oppositae dicuntur *contradictoriae*, si una earum est universalis, altera particularis, e. g., *Omnis homo est iustus, Aliquis homo non est iustus*; vel *contrariae*, si ambae sint universales, e. g., *Omnis homo est iustus, Nullus homo est iustus*. Quod si enunciationes, quarum una est affirmans, altera negans, sint ambae particulares, ipsae dicuntur *subcontrariae*; e.

g., *Aliquis homo est iustus, Aliquis homo non est iustus*. At eiusmodi enunciationes, quemadmodum monuit s. Thomas ¹, si proprie, et stricte considerentur, non sunt oppositae, quia subiectum, cum in ambabus ex parte sumatur, non est idem, sed diversum ².

84. Iam quod spectat ad enunciationes contradictorias, nihil medii inter ipsas est, sed si una ipsarum est vera, altera falsa esse debet. E. g., harum duarum enunciationum, *Omnis homo est animal, Aliquis homo non est animal*, cum prima sit vera, altera falsa esse debet. E contrario, harum duarum, *Nullus homo est iustus, aliquis homo est iustus*, quoniam secunda est vera, prima pro falsa habenda est. Ratio est, quia si quoddam attributum vere de toto universe affirmatur, non potest negari de parte, quae in toto continetur; et, si quoddam attributum vere de parte affirmatur, non potest in universum de toto negari, alioquin idem de eodem simul affirmaretur, et negaretur.

85. Enunciationes *contrariae* simul verae esse non possunt; nam, cum in una illarum attributum de subiecto universe affirmetur, in altera universe negetur, non nisi alterutra potest esse vera, quia idem de eodem aut affirmetur, aut negetur oportet. Eae autem vel sunt ambae falsae, si nempe attributum sit contingens, uti in hoc exemplo, *Omnis homo est iustus, Nullus homo est iustus*; vel una illarum est vera, altera falsa, uti in hoc alio exemplo, *Omnis homo est ratione praeditus, Nullus homo est ratione praeditus*.

86. Denique, quod ad *subcontrarias* attinet, hae simul falsae esse non possunt, nam vel sunt ambae verae, idque evenit, si attributum est contingens, e. g., *Aliqui homines sunt sapientes, Aliqui homines non sunt sapientes*; vel una earum est vera, et altera falsa, idque evenit, si praedicatum est necessarium, e. g.,

¹ In lib. I Perhierm., lect. XI.

² Non pauci recentes inter enunciationes oppositas enumerant etiam *subalternas*, eas nempe, quae qualitate secum conveniunt, et differunt solum quantitate, e. g., *Omnis homo est iustus, Aliquis homo est iustus*, vel *Nullus homo est iustus, Aliquis homo non est iustus*. At enunciationes *subalternae* nulla ratione oppositae dici possunt. Nam ad oppositionem enunciationum constituendam ex postulat differentia secundum qualitatem, ita ut in una ipsarum de subiecto affirmetur attributum, quod de eodem subiecto in altera enunciatione negatur; atqui enunciationes *subalternae* qualitate secum haud pugnant; ergo ipsae sibi oppositae minime dicendae sunt.

Aliquis homo est ratione praeditus, Aliquis homo non est ratione praeditus.

87. Conversio autem enunciationis est eius mutatio effecta per transpositionem terminorum, nempe subiecti in locum praedicati, et praedicati in locum subiecti. E. g., haec enunciatio, *Nullus homo est lapis*, convertitur in hanc, *Nullus lapis est homo*. Perspicuum autem est in conversione enunciationis qualitatem mutandam non esse, alioquin non conversio, sed oppositio haberetur. Aliquando autem, ut enunciationis veritas maneat, quantitas mutanda est, idque evenit, cum praedicatum latius patet, quam subiectum. Inde oritur duplex species conversionis, nempe *simplex*, et *per accidens*. Conversio *simplex* ea est, in qua eadem quantitas retinetur, e. g., *Nullus circulus est quadratum, Nullum quadratum est circulus*, vel *Aliqua voluptas est bonum, aliquod bonum est voluptas*. E contrario, conversio *per accidens* illa est, in qua quantitas mutatur, e. g., *Omnis homo est animal, Aliquod animal est homo*.

CAPVT III.

De ratiocinatione

ART. I. De natura, fundamento, et elementis ratiocinationis

88. Ratiocinatio, sive graeca voce *sylogismus*, est illa actio nostrae mentis, qua ex duobus iudiciis tertium elicit. Ipsa *motus*, et *discursus*, sive progressio quoque nominatur, quia in ea mens nostra a notis ad ignota progreditur.

89. Discrimen inter iudicium, et ratiocinationem hoc est: In iudicio mens nostra perspicit convenientiam, aut discrepantiam alicuius praedicati cum aliquo subiecto *immediate*, nempe ex sola comparatione terminorum. In ratiocinatione autem illam perspicit *mediate*, nempe per aliquam tertiam notionem. Id autem fit hunc in modum: Intellectus adnitens cognoscere convenientiam, aut discrepantiam duarum notionum, sumit aliquam tertiam notionem; deinde cum hac comparat duas priores. Si comperit has cum illa tertia convenire, concludit eas inter se etiam convenire. E. g., cognoscit convenientiam notionis *esse immortale*, cum notione, *anima humana*, per tertiam notionem, *esse immateriale*, cuius ope ita ratiocinatur: *Substantia immaterialis est immortalis; atqui anima humana est substantia immaterialis*.